
EDITORIS MONITUM.

IN libro cui titulus *Caroli Arbuthnotii Tabulæ antiquorum nummorum, Mensurarum & Ponderum, &c. ex Anglica in linguam Latinam conversa*, opera *Dan. Konigii M. D.* (1) exigit Clar. Arbuthnotius ad publicum Britannorum pondus *Troyense* (2) veterem Romanorum Libram: unde Denarii Consularissive Atticæ Drachmæ atque utriusque nummi partium pondus declarat vir doctissimus. Nam isto Denario seu Drachmâ veluti pondere utebantur in suis *prescriptionibus Medicis* veteres & Romani & Græci.

Huic igitur Atticæ Drachmæ seu Denario Consulari, qui Romanæ veteris unciae pondo pars septima est, attribuit

(1) In 4°. *Trajecti ad Renum*, apud Hermannum Besseling, ubi vide pag. 13 & seqq. & iterum pag. 261 & seqq.

(2) De isto Britannorum pondere quod *Troy Weight* dicunt, consule libellum cui titulus: *Mémoire de M. Tiller, de l' Acad. Roy. des Sciences, sur le rapport des Poids étrangers avec le Marc de France*, in 4°.

Clar.¹ Arbuthnotius Anglicæ grana pondo
Troyensia 62 $\frac{2}{49}$. Quâ re Romanam ve-
terem unciam conficiunt eadem grana 437
 $\frac{1}{7}$. Et proinde vetus Romanorum libra
pondio, quæ duodenas habuit uncias,
constaret iisdem granis 3245 $\frac{5}{7}$.

Ergo Consularis ille Denarius seu
Drachma Attica penderet *Parisiorum* li-
bræ pondo grana 76 $\frac{27}{224}$. Ergo his *Pa-*
risiorum granis 532 $\frac{182}{224}$ constaret vetus
Romanorum uncia. Ergo vetus Romanorū
libra absolveretur iisdem *Parisiorum*
granis 6394 $\frac{1}{8}$. Unde juxta Arbuthnotii
opinonēm, sexta pars Atticæ Drachmæ
sive Denarii Consularis, id est obolus,
constaret *Parisiorum* granis 12 $\frac{923}{1344}$.

Verūm obiter monendus est lector,
aliter sensisse de veteris Romanorum libræ
pondere Dominum DUPUY, virum Aca-
demicum ut acris & accuratae diligentiae,
sic ingenii atque Doctrinæ non vulgaris.
Existimat enim constare veterem Roma-
norū libram pondo 6300 duntaxat *Pa-*
risiorum granis: unde his granis quinque
tantum & septuaginta (75) constaret
Consularis ille Denarius sive Attica
Drachma. Quod videsis in tom. 28,

EDITORIS MONITUM. 509

pag. 647 & seqq. libri cui titulus : Mémoires de l' Acad. Roy. des Inscript. & Belles-Lettres , in-4. Paris , Impr. Roy.

1761.

His præmissis, Lectori dilucidior erit hæc
Præscriptionum CELSI Expositio brevis ,
quam fecit Clar. Arbuthnotius : videas in
dictarum TABB. pag. 271 & seqq.



Y iii